

CONTROVERSIÆ PHYSICÆ

DE

CORPORE NATV
RALI CAVSATO

QVÆ

IN ALMA ELECTORALI VNIVERSI-
TATE INGOLSTADIENSI

PRÆSIDE

BERNARDO FREY SO-
CIETATIS IESV PHILOSO-
PHIÆ PROFESSORE AD
ORDINARIO

PVBLICE RESOLVIT

CASPARVS FABER GVNDEL-
FINGANVS NEO-PALATINVS METAPHY-
SICÆ STUDIOSVS

ANNO VIRGINEI PARTVS M. DC. XLIV.

MENSE FEBRVARIO.

Diebus quibus

INGOLSTADII,

Typis GREGORII HAENLINI.



GENEROSISSIMO
HEROI
FORTISSIMO ECCLESIAE
CATHOLICAE MILITI

S. MANCIO

Lusitano Martyri

nec non

NOBILI CLARISSIMO ATQVE EXCELLENTIS-
SIMO VIRO AC DOMINO

CASPARO MANZIO V. I. D.
REV.^{mi} ATQVE ILL.^{mi} PRINCIPIS EPI-
SCOPI AVGVSTANI NEC NON SERENIS-
SIMI DVCS NEOBVRGICI
Confiliario

IN ELECTORALI VNIVERSITATE INGOLSTADI-
ensi Pandectarum Professore Ordinario

COGNATO SVO PLVRIMVM OBSERVANDO

Debitae Venerationis, obsequij & grati-
tudinis causâ

offert & Dedicat



CASPARVS FABER

PROOEMIUM.



Disputatio Principia Corporis Naturalis aggredimur Disputati-
onem de Causis in communi, & particulari, quam scitu di-
gnissimam & in omni propè questione occurrentem vocat
Quied. Cont. 7. valde utilem ad vniuersam Philosophi-
am & Theologiam Arriag. Disput. 7. & deniq. cardinem, in quo vol-
nitur melior & maior pars machina totius philosophia naturalis & di-
uina Hurtad. Mendoza Disput. 8. Quatuor proinde §§. potissimas
controuersias iuxta præcipuas hodie scholas per breues iterum quæstio-
nes resoluemus.

S. I.

DE CAUSIS IN COMMUNI.

I. QUID SIT CAUSA?



Homine ex S. Thom. cum Complut. Disput. 8. q. 1. §. 2. definiunt, causa est id,
ad quod sequitur esse alterius: quos sequitur Card. Tol. lib. 2. c. 3. q. 7. Sua-
rez Disput. 12. sect. 2. definit esse principium influens esse, in aliud; Rubius
influens in effectum; Arriaga Disput. 7. sect. 1. n. 7. quod per se influit produ-
cendo essentiam; Quiedo Cont. 7. p. 1. Influens per influxum, ex se formaliter defecti-
bilem. Omnes videntur implicite idem dicere, aut saltem sentire, quamuis aliter lo-
quantur.

DICO I. Cùm Aristoteles ex vnâ parte nullam causæ in communi definitionem
reliquerit, ex alterâ verò parte, difficile sit talem dare, quæ solis causis conueniat, & in
diuinis locum non habeat, magnam philosophis dissentiendi, dedit licentiam. placet
ita definire; Causa est principium per se influens esse in aliud, vt effectum, per influxum
ex se defectibilem; quâ ratione nec conditionibus, nec terminis per se non influentibus,
nec æterno Patri Verbum in diuinis generanti, nec Verbo Humanitatem Christi
terminanti conuenit ob distinctionis & defectibilitatis maximè defectum.

II. AN ACTVS PRIMVS PHYSICVS CAUSÆ CONSTITVATVR PER EFFECTVM, ET CAUSALITATEM?

Affirmat Theologus quidam apud Mendozam Disput. 8. sect. 1. §. 18. & cum eo
apud Arriag. & Quiedo. recētiore aliqui existimantes rationem causæ in actu primo
potentis, esse denominationem extrinsecam à causalitate, & effectui possibili, non minus
quàm denominationem visî à visione, ita vt secundam entitatem suam intrinsecam causæ
sit entitas omnino absoluta, nullo modo propriè respiciens effectum aut causalitatem & eo
ferè modo, quo nos Relationem prædicamentalem in logicâ explicauimus.

Negat Hurtad. *loc. cit.* Arriag. *Disput.* 7. *sect.* 2. Ouied. *Cont.* 7. p. 2. qui concedunt requiri foris ad actum primum physicam causam, effectum & causalitatem, negant tamen potentiam causam per se constitui, ne idem sit productivum & causativum sui ipsius.

DICO 2. Causa in actu primo physico, non solum constituitur per entitatem intrinsecam virtutis productivæ, sed etiam condiciones, comprincipiaq; omnia prærequisita ad operandum, non tamen causalitatem & effectum etiam possibilem, ne idem sit sui ipsius productivum; nec per remotionem impediementi, quod ipsa causa remouet, utpote causam in actu primo posteriorem.

III. AN CAUSA CREATA REFERATUR ORDINE TRANSCENDENTIALI AD SVOS EFFECTVS?

Affirmant Thomistæ recentiores Suarez *Disput.* 47. *sect.* 3. Vasquez *asserens esse apud Scholasticos. extra Controversiam, oppositumq; fuisse audaciam recentiorum.* Hurtadus *Disput.* 8. *sect.* 2. Arriag. *Disput.* 7. *sect.* 2. n. 17. Ouied. *Contro.* 10. *Metaphysicâ* p. 6. Et adeo apud nostros sit hodie communis.

Negat Martinus Smiglecius *Disput.* 10. q. 8. Sibi pro se prolixè corradit antiquiorum Thomistarum, Scotistarumq; scholam communem, & nostris Toletum, Pererium lib. 5. c. 22. qui vult potentiam & dicit relationem non esse de essentia materia, cum respectus non possit esse de essentia alicuius absoluti. Imò Fonseca 5. *Metaphysicâ* c. 15. *sect.* 4. vult maximam Philosophi partem sentire, scientiam non referri ad obiectum, neq; sensus ad qualitates, neq; materiam ad formam essentiali habitu, sed accidentali posseq; has entitates & in se sunt sine aliquo respectu cognoscit, adeoq; non essentialiter referri.

DICO 3. Cum causa creata nec esse, nec concipi possit sine suo effectu, ad eum dicit respectum transcendentalem, qui sit ipsa causæ essentia & differentia, nec enim contra naturam absoluti prædicamentalis est respectus essentialis. Porro licet sit mutuus causarum & effectuum respectus, effectus tamen respicit causam ut aliquid prius, causa effectum, ut aliquid posterius essentialiter tamen; & non necessariò tantum, velut essentia suas proprietates, sine quibus essentia concipi, non item causa potest sine effectu. Respicit autem causa effectum, non tantum in Communi sed & in particulari, ut de materia respectu formæ, iam prioribus thesibus est conclusum.

IV. AN CAUSA ETIAM INCREATA REFERATUR ORDINE TRANSCENDENTIALI AD EFFECTVM?

Negant recentiores Thomistæ apud lo. de S. Thom. q. 10. a. 3. cum quibus sentiunt quoad rem, è nostris P. Suarez, cum effectus creatus non sit finis Dei, P. Fasolus quod non sit aliquid Deum perficiens; & materia formam; Hurtadus *Disput.* 15. *metaphysicâ* *sect.* 9. quod à creatura non dependeat; Ouied. *Cont.* 10. *metaph.* p. 6. n. 13. & 14. Quod sine effectu creato cognoscit possit, quia tamen omnia ad respectum transcendentalem ab ipsiis authoribus requiruntur.

Affirmat Arriag. *Disput.* 7. *sect.* 2. n. 20. & apud Ouiedo *loc. cit.* Granadus tom. 1. in 1. p. P. Salas in 1. *secunda tract.* 2. *Disp.* 4. Didacus Ruiz de Trinit. *disp.* 63. Sibi docet Verbum Dei fore quiddam in se diversum, à Verbo, si creatura alia fuisset possibilis.

DICO 4. Cum in omnipotentia Dei omnes effectus saltem possibilem continentur, & à beatis in eadem videri possint, videtur quoq; respectum transcendentalem ad creaturas dicere posse; neq; enim ad illum requiritur dependentia unius ab altera.

vel vt à fine, vel vt à suâ perfectione, sed sufficit, si vnum sine altero nec esse nec concipi possit; nisi velis facere quæstionem de nomine, ad quam videtur hæc controuersia delabi.

V. AN IMPLICANTE EFFECTV ETIAM CAUSA IMPLICARET?

Affirmat communis sententia causam creatam habere Connexionem necessariam cum possibilitate effectûs, ita vt effectus saltem omni implicante causa implicaret. de increatâ idem docent apud Oued. Cont. 10. Metaphys. p. 4. Granadus, qui fatetur deficientem quilibet creaturâ possibili Deum defecturum; Ruiz, & Artias. Disput. 7. physic. sect. 3.

Negant de causâ increatâ Mendoza Disput. 15. sect. 3. & pro se citat Vasquium, Arubal. tom. 1. in 1. p. Vbi docet oppositum probabiliter dici non posse. Ouedo Cont. 10. Metaphys. p. 4. non modo de causâ increatâ, sed etiam creatâ contra communem aliorum opinionem idem contendit.

DICO 5. Omnis Causa saltem creatâ habet Connexionem cum possibilitate effectûs, ad eò vt implicante vel vnico effectû, causa quoq; physicè, & entitatiuè implicaret, deficeret enim prædicatum aliquod intrinsecum & essentialè nempe virtus productiua, quæ in rebus saltem creatis, & finitis, est absoluta & finita, & non conditionata, aut ad omne producibile sine termino extensa. de causâ increatâ Theologi controuertant; idem tamen videtur non omnino incongruè, nec sine auctoritate asserendû, ob paritatem rationis.

VI. AN OMNIS CAUSA SIT PRIOR SVO EFFECTV SALTEM NATVRA?

Affirmant Thomistæ apud Complut. Disput. 8. q. 4. Io. de S. Thom. quas sequitur cõmunis aliorû omnium schola: discrepant tamen valde in explicandâ prioritate Naturæ.

Negat Soncinna apud eosdem 5. Metaphys. p. 7. quia causa & effectus sunt correlatiua, quæ sunt simul naturâ, non priora, aut posteriora.

DICO 6. Omnis causa est prior saltem Naturâ suo effectû. Non consistit autem prioritas causæ, siue prioritas naturæ in genere & vniuersim, in prioritate secundum subsistendi consequentiam, vt vult Mendoza; nec in eo, quòd possit causa esse, aut saltem concipi non existente actu suo effectû, sed in solo influxu causæ in effectum. in specie verò duplex est prioritas causæ siue Naturæ, In Quo, & A Quo; illa est causæ, quæ existere, aut saltem concipi potest existens conceptu adæquato, sine effectû actu existente, quo modo non tantum causa libera; sed etiam necessaria est prior suo effectû prioritate In Quo. Prioritas Naturæ A Quo est illius à quo alterum producitur, & quasi fluit velut à causâ, siue accidentaliter siue essentialiter, quo modo omnis causa est prior suo effectû, etiam causa & causalitas actu causans. in Diuinis Prioritas A Quo Originis, nõ Naturæ, aut Causalitatis locum habet.

VII. AN PRAEREQVIRATVR EXISTENTIA CAUSAE AD PHYSICÈ CAUSANDVM.

Affirmant Omnes Thomistæ & Scotistæ quos nostri sequuntur. nec illis, inquit Mendoza Disput. 8. sect. 6. hucusq; affirmant posse aliquâ causam influere realiter, quin eum influat existat, aut saltem habuerit existentiam. Vnde

Negant Thomistæ apud Mendoz. & Oued. requiri ad physicè operandum existentiam causæ præsentem, modo tamen immediatè ante præexisterit: sic Sacramenta secundum

dum aliquos Physicè producant gratiam in instanti extrinsecò: sic secundum Rubium nostrum dispositiones producant formam genti in eo instanti, in quo non sunt, sed perierunt cum formâ corruptis. nec id sine apparenteratione, sicut enim ad operandum sufficiens contiguitas duorum corporum quoad locum, ita videtur sufficere contiguitas causa & effectus quoad temporis immediatam successionem.

DICO 7. Cum actus primus logicus, siue nuda rei possibilitas, non sit operatiua, res in potentiâ logicâ obiectiue tantum existens operari, & causare nihil potest: Nec sufficit immediatè antè extitisse, maximè in causâ materiali, ne in aliquo saltem instanti forma sine materiâ & subiecto existat, potissimum cum existentia immediatè præcedens & corrupta tam parum virtutis habeat, quàm si nunquam extitisset; Instantiæ contrariæ ex hoc fundamento rectius negantur, quàm ab aduersarijs asserantur.

VIII. AN DVÆ CAVSÆ POSSINT ESSE SIBI MUTVO CAVSÆ IN EODEM GENERE?

Negant omnes scholæ posse duas causas sibi mutuo esse causas, quoad primum esse in eodem genere causa, inquit Arriaga *Disput. 7. sect. 8. n. 96.* aliàs enim eadem res prius existeret, & non prius existeret, qua sunt contradictoria. sed tamen

Affirmant Thomistæ posse esse mutuum causalitatem in diuerso genere causa, non tantum in causis moralibus, sed etiam physicis: & id de facto docet Io: de S. Thom. inter materiam & formam, stem dispositionem vltimam & formam gentiam euenire.

DICO 8. Dux causæ reales, nec in eodem nec in diuerso genere causæ, possunt esse sibi mutuo causæ, quoad primum esse, cum omnis effectus supponat existentiam suæ causæ, & ideoque prius existeret debet, quàm operetur, quod fieri non posset, si existentiam primum ab effectu emendicaret; quòd si tamen alterutra vel vtraque duplici actione totali produceret, poterunt dux causæ sibi mutuo esse causæ etiam in eodem genere causæ, quoad alteram existentiam.

IX. AN DEBEAT ESSE DISTINCTIO REALIS INTER CAVSAM ET EFFECTVM?

Affirmant omnes quoad primam actionem nihil posse à seipso produci; aliàs enim idem esset seipso prius & posterius, idem sibi ipso opponeretur, & ad se referretur, qua sunt impossibilia. praterquam, quòd nullâ amplius naturalis & efficax ratio suppetere ex creaturarum productione DEVM probandi. Quoad secundam actionem Affirmat etiam Eminent: Cardis: Ioannes de Lugo de Sacramento Eucharist. *Disput. 7. sect. 2. n. 22. & seq.* Franciscus Ouicè. *Contro. 9. p. 10.* sicut enim causa materialis non potest seipsam causare & sustentare secundâ quasi sustentatione; aut forma seipsam informare, sic nec causa efficiens seipsam, etiam secundâ actione producere.

Negat Suarez de Sacramento Eucharistia, quoad secundam actionem docens Christum existentem adæquatè per primâ actionem à solo Deo dependentem, seipsum Physicè producere secundâ actione sub speciebus, quem sequitur Arriag. *Disput. 7. sect. 9.*

DICO 9. Cum causa sit principium per se influens in aliud, nihil potest seipsum etiâ secundâ actione producere, maximè cum aliàs fortè non ita efficaciter & philosophicè conuinci posset, qui Patrem æternum etiam productum diceret, aut Filium se ipso generatum, per secundam generationem. Instantia Theologica Suarezio ob eam causam erit neganda.

X. AN PLVRES CAVSÆ TOTALES EIVSDEM ORDINIS POSSINT
CONIVNCTIM EVNDEM EFFECTVM PRODVCERE
SALTEM DIVINITVS?

Negant Thomistæ apud Complut. *Disput.* 15. q. 3. 10. de S. Thõ. q. 10. a. 5. ite Scotistæ apud Tartaret. *lib.* 2. *physic.* §. *dubitat*ur secundo; aliàs enim alterutra esset causa totalis & non esset, & ab utraq; effectus per se dependeret & non dependeret. quæ sunt contradictoria. Eisdem ex nostris sequitur Vasquez. *tom.* 1. *in* 3. p. *Disput.* 29.

Affirmant nostri cum Suarez *Disput.* 26. *sect.* 4. Fonseca, Rubius, Mendoza, Oniedo; hæntq; sententiam inter recentiores vocat communem Arriaga. Imò id naturaliter, & de facto fieri docent aliqui apud Complutenses Carmelitanos maxime Nominales, casu quo plura agentia adæquata æqualis virtutis passo æqualiter simulque applicantur.

Dico 10. Possunt quidem duæ causæ finales naturaliter eundem effectum producere absque omni miraculo & superfluitate, non tamen duæ causæ reales; cum causâ naturalis non determinetur vel à se, vel à Deo ad totaliter operandum, alterâ causâ creatâ simul concurrente sicut nec determinatur ad effectum corruptum denuò reproducendum quantumvis in eius potentia adhuc contineatur. Supernaturaliter tamen & diuinitus possunt duæ causæ totales in genere causæ efficientis ad eundem effectum simul totaliter concurrere; nec sanè minùs eadem res per plures causas totales in rerum naturâ, saltem diuinitus constitui potest, quàm in eodem loco extrinseco per plures Ubicationes collocari, cum nulla sit implicantiã ex parte actionis, causæ, aut effectus.

XI. AN PLVRES CAVSÆ TOTALES POSSINT DIVISIM
PRODVCERE SALTEM DIVINITVS EVNDEM EFFECTVM?

Negant Thomistæ apud Oued. *Cont.* 7. p. 6. cum Complut. *Disput.* 15. q. 4. §. 2. ita & qualibet causa sub se habeat certam quandam classẽ effectuum adæquatè distinctam, ita & nullus effectus contentus in virtute huius causa, in alterius virtute contineatur, nec naturaliter, nec supernaturaliter, & adeo quilibet effectus in hæc sententiã à causâ sua videatur induciuari.

Affirmant Scotistæ id non solum supernaturaliter, sed & naturaliter fieri posse, ita & idem numero effectus in pluribus causis naturalibus diuisim contineatur. eos sequitur Suarez *tom.* 1. *Metaphys.* *Disput.* 26. *sect.* 5. *Rub.* *tract.* 7. q. 2. & reliqui omnes, & Complutenses aiunt, Societatis IESV DD.

Dico 11. Idem effectus, à pluribus causis intrinsicis & componentibus, nec naturaliter; nec supernaturaliter, nec coniunctim nec diuisim procedere potest, eo quòd pro earum diuersitate etiam effectus formalis necessariò varietur. In causâ tamen Finali, Materiali respectu formæ, & Efficienti, potest idem effectus procedere à pluribus causis totalibus eiusdem rationis saltem per absolutam Dei potentiam etiã diuisim, siq; de factio iam quandoq; effectum causæ naturalis, ab aliâ quoq; causâ productum esse, videtur asserendum, cum eius rei nulla sit implicantiã, nec effectus à causâ suâ ita induidatur, aut limitatur, vt à nulla alia causa saltem diuinitus produci possit. Naturaliter tamen non quælibet causa potest producere omnes effectus suæ speciei, quos alia producere potest, ob limitatam essendi & operandi rationem; maxime cum causa vniuoca non possit habere pro obiecto adæquato totam suam speciem, aliàs seipsam quoq; respicere, & producere posset. An autem de facto quælibet causa habeat adæquatè distinctam

tinctam seriem effectuum producendorum à qualibet alià causâ suæ speciei, facilitè fortè à nobis asseritur, quàm creditur.

XII. AN AD CAUSAM REQUIRATUR APPROXIMATIO AGENTIS ET PASSI?

Affirmant Thomistæ apud Complut. *Disp.* 28. q. 3. *Et requirunt immediationem, siue approximationem agentis cum passio. Vel ratione suppositis, vel virtutis, quos nostris cum Suarez, Mendoza, Arriag. & Ouid. communiter sequuntur.*

Negant Scotistæ asserentes saltem intra spheram actiuitatis, posse in distans causam operari, nihil operando per medium; cum ijs sentiunt Nominales aliqui apud Complut: cum aliàs six ratio esset, cur causa ab agendo cessaret, si semper in medio aliquid produceret, quod actionem ulterius propagaret, præterquam quod sæpius in distans effectus intensior producat, quàm in propinquo, imò saepe effectum in distanti produci, nullo per medium productio experientia Magnetis, Torpedinis, Remora, Basiliscus, & potissimum locutionis Angelica videntur comprobare.

DICO 12. Nulla quidem causa creata potest physicè operari in distans, nihil operando per medium, cum ab experienciâ constet actionem posito obstaculo per medium impediri; Nihilominus tamen potest aliquo modo in distante passio operari nihil operando per medium, si eidem saltem ratione suarum partium, cum quibus coniungatur, sit coniunctum vel immediatione suppositi, vel virtutis à se per medium productæ, siue sit eiusdem, siue diuersæ rationis, maximè si ab eadem in operando adiuuentur.

XIII. AN CAUSA CREATA PER ABSOLVTAM DEI POTENTIAM POSSIT AGERE IN DISTANS?

Negant Thomistæ non solum de causâ Materiali & Formali, sed etiam Efficiente, cum enim nulla res ad aliquem effectum sibi indubitum eleuari possit, nisi per instrumentum realiter distinctum, quod virtute suâ effectum attingat, secundum ipsos, nunquam produceret effectus in distanti sine instrumento causa Principalis saltem coniuncto, aut si coniunctum non est, tam parum ibi operari potest, ubi non est, quàm in tempore, in quo non existit. cum ijs sentitè Nostris Rubius lib. 7. phys. c. 2. q. 2. citans etiam Molinam l. p. q. 8.

Affirmant præter Scotistas Card. Bellar. lib. de Sacra. in gen. c. 11. Conimbric. Suarez. Ouid. Imò Arriaga *Disput.* 7. sect. 6. n. 71. putat posse per absolutam DEI potentiam produci aliquam creaturam tanta perfectionis, ut possit naturaliter & immediatè operari in distans, nihil omnino operando per medium.

DICO 13. Cum approximatō nihil Virtutis intrinsecæ, vel adæquatæ, vel inadæquatæ conferat, sed se solum habeat per modum conditionis, fieri omnino potest, ut agens naturalè agat in distans, absque eo quod Deus virtutem productiuam aut augeat, aut suppleat, si enim potest Deus concurrere cum creaturâ non determinatâ ad operandum per dispositionem, cur non possit concurrere cum non determinatâ ad operandum per approximationem non tantum intra, sed etiam extra spheram suæ actiuitatis naturalis. Quin & ipse Deus etsi per impossibile omnipræsens non esset, in distans tamen, & ubiq; per suam omnipotentiam operari posset.

§. II.

DE CAUSA MATERIALI ET FORMALI.

XIV. AN SINT QUATVOR CAVSARVM GENERA PROPRIE DICTA?

Affirmat communis Peripateticorum schola cum Thomistis & Scotistis. quos nostri quoque libenter sequuntur apud Complut. *Disput. 8. q. 2. eo quòd de corpore Naturali hac quatuor, Ex Quo, per Quod, à Quo, & propter Quid per quatuor causarum genera inquirantur. Nihilominus si rigide loquendum:*

Negat causam Materialem Lessius lib. 3. de summo bono à n. 49. eiq; libenter accederet Arriag. *Disput. 8. sect. 1. Sibi existimat, non esse efficacem rationem, qua causam materialem eiusq; causalitatem persuadeat. Ouid. Cont. 8. p. 7. licet admittat omnia quatuor causarum genera, Formalem tamen & Finalem etiam cum Arriagà non esse proprie & striete causas contendit.*

DICO 14. Sunt quidem quatuor causarum genera, sed ex ijs sola Materialis & Efficacis striete dicta, cum cætera, vel non physicè, vel nihil à se distinctum saltem adæquate causando producant; quin nec ipsa materia, quatenus pars componens est, causa Compositi erit proprie denominanda.

XV. AN CAUSALITAS CAUSAE MATERIALIS SIT VNIO SVB- STANTIALIS?

Affirmant Thomistæ apud Complut. *Disput. 9. q. 2. §. 2. eo quòd Vnionem & passionem inter se non distinguant, quos sequuntur Rubius; Suarez, è nostris, & quot quot cum ijs Vnionem cum actioneeductiua confundunt.*

Negant Scotistæ apud Io. de S. Thom. secundum quos causalitas causa materialis nihil aliud est, quam exhibitio sui ad formam cum respectu, & relatione ad formam. Negant è nostris etiam Arriag. *Disput. 8. sect. 3. Ouid. Cont. 8. p. 1. n. 2. cum alijs communiter, & solam passionem causalitatem materialem esse contendunt. Discrepant proinde à Thomistis, quòd Vnionem à passione, à Scotistis vero, quòd passionem à subiecto, eiusq; relatione distinguant.*

DICO 15. Cum Duplex sit Effectus causæ materialis (v.g. Materiæ) Forma & Compositum; respectu formæ causalitas materialis est passio siue actioeductiua realiter distincta ab Vnionè; respectu Compositi verò Vnio, non quomodocunque sed vt sustentata: His enim positis, materia & quælibet aliq; causa materialis dicetur in actu secundo causans formam aut Compositum saltem aliquo modo. quòd si totum Compositum crearetur, materia non haberet rationem causæ, sed tantum Principij.

XVI. AN CAUSALITAS CAUSAE FORMALIS SIT ETIAM VNIO SVBSTANTIALIS?

Affirmant Thomistæ apud Complut. *Disput. 19. q. 3. ita vt Vnio sit causalitas materialis, & Formalis: hoc ipso enim, quòd forma vnietur materia, informat, limitatq; materiam, ac compositum in actu secundo constituit; sequuntur è nostris communiter omnes DD. Societatis, qui nullam, vel non aliam causalitatem forma agnoscunt, quam Vnionem, & quidem secundum aliquos, etiam sustentatam.*

Negant Scotistæ Voluntq; causalitatem forma non addere aliquid supra entitatem forma, quia seipsam exhibet materia ad componendum totum, solumq; addit relationem illius ad effectum siue compositum. ita ex schola Scoti docet apud Io. de S. Thom. *Eventi. 1. physic. q. 5. diffic. 1. quos sequuntur è nostris aliquo modo ij, qui Vnionem negant esse modum.*

DICO 17. Quamuis causa Formalis, non sit propriè causa, nec vllum propriè dictū effectū formalem habeat, à se realiter, & adæquatè distinctum, nec enim forma materiam, nec Vnionem, adeoque nec Compositum causat, nihilominus tamen causalitas, qualiscunque tandem, formæ respectu Compositi, velut effectus sui formalis & primarij est Vnio substantialis, nō quidem sustentata, sed tamen recepta. ratione verò effectus secundarij siue formæ expulsæ, nullā omnino indiget causalitate positiuâ, sed solâ concursus conferuentis subtractione, & non esse Vnionis, vel formæ, cum non per se sed per accidens intendatur.

XVIII. AN EFFECTVS SECVNDARIVS CAVSÆ FORMALIS A DEO IMPEDIRI POSSIT?

Negant Thomistæ *apud Complut. Disput. 4. de forma subst. q. 6. licet enim (inquunt) effectus secundarius positus à DEO impediri possit, non tamen effectus priuatiuus, qualis est expulsio prioris forma, maxime, quia alias forma de nouo producta, altera non expulsâ, non esset amplius altus simpliciter primus, sed secundus.*

Affirmant Nostri *Communter, & quotquot nobiscum concedunt, duas formas totales posse esse simul in eadem materia, & cum Arriag. Disput. 8. sect. 4. subsect. 1. & Ouedo cont. 8. p. 3. §. 2. philosophantur.*

DICO 18. Cùm formæ accidentalis effectus secundarius à Deo saltem impediri possit, etiam secundum Thomistas, nec vlla implicantia esse videatur duas formas totales esse simul in eadem materiâ, omnino asserendum est, posse effectum formalem secundarium à Deo impediri, non autem primarium, cùm implicet contradictionem positâ formâ siue accidentali, siue substantiali in subiecto, non poni illius effectum formalem.

XIX. AN EXPVLSIO FORMÆ CORRVPTE SIT PRIOR NATVRA INTRODVCTIONE FORMÆ GENITAE?

Affirmant Thomistæ, *docentq; expulsionem formæ præexistentis esse priorem in genere causa materialis, posteriorem verò, in genere causa Finalis & efficiens: neq; enim Complut. Disput. 3. de Corrupt. subst. q. 5. §. 2. cum Thomistis inconueniens arbitrantur, duas causas esse mutuo priores & posteriores in diuerso saltem genere causa.*

Negant Nostri *cū Suarez Disput. 27. sect. 11. Arriag. disp. 8. sect. 4. Ouedo & pleriq; recentioribus, eo quòd expulsio formæ sit effectus formæ introducta, adooq; necessario posterior.*

DICO 19. Cùm Forma genita simul cum generante, & dispositionibus contrarijs, formam præexistentem, non physicè quidem, moraliter tamen per modum causæ expellat, Forma noua prius naturâ generatur, quàm altera corrumpatur, ita vt forma corrupta, nec in genere causæ materialis aliquam prioritatem sibi possit arrogare, & absolute posterior, velut genitæ formæ effectus debeat appellari.

§. III.

DE CAUSA EFFICIENTE.

XX. AN DETVR CAUSA EFFICIENS CREATA?

Affirmat vniuersa Thomistarum, Scotistarum schola *dans non solum causam primâ aut se solâ aut cum creaturis operantem ad extra in genere causa efficiens, sed etiam secundam primâ cooperantem.*

Negant

Negant nonnulli antiqui, qui sentiunt res creatas nihil producere, sed Deum ad presentiam ignis producere ignem, & ad presentiam solis lucem &c. quibus Seltarij nostra aetatis in actibus saltem liberis fauere videntur tollentes omne liberum arbitrium, eiusq; operationem saltem liberam: & nimium quoq; dixisse videtur Arriag. *Disput. 8. sect. 1.* ubi docet non esse efficacem rationem naturalem, quâ probeatur creata causalitas materialis & efficiens, & cum eo omnes ij, qui causalitatem causa materialis tollunt, hoc ipso enim tollunt causalitatem causa creata efficientis, & ipse cum materiali identificantur.

DICO 20 Cum Concilio Trid. *sess. 6. c. 4.* Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti &c. sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereq; passivè se habere, anathema sit. De alijs operationibus ad Iustificacionem non pertinentibus, res aded quoq; certa est, vt sine stultitiâ nõ possit negari, vt loquitur S. Thomas. Datur proinde Causa efficiens & productiua etiam creata, estq; principium per se, à quo primo est aut fit mutatio.

XXI. AN SVBSTANTIA SIT IMMEDIATE PRODVCTIVA SVBSTANTIAE?

Negant Thomistæ omnes apud Complut. *Disput. 10. q. 4. Masium c. 3. q. 4. quos è nostris sequuntur Valquez 1. p. Disput. 195. Pererius lib. 8. physic. Rubius de causâ efficiente q. 6. in commentarijs excusis Compluti, 1613; in excusis tamen Valentia contrarium secutus &c.* eò quòd nulla substantia per suam essentiam sit immediatè operatiua (hoc enim soli Deo convenit) sed per accidens superadditum, & quidem adquatè, quantum instrumentali ter tantum concurrat, & conveniens est substantiam per accidens distinctam à se in virtute tamen sua operari, cum sepe vel omnino non existat, vel saltem passò non coexistat.

Affirmant Scotistæ, cum quibus sentiunt è nostris Suarez *Disp. 18. sect. 2.* Conimbric. 2. *physic. Mendoza Disput. 9. sect. 3.* Arriaga *Disput. 9. sect. 2. subsect. 4.* Oued. *Cõf. 9. p. 4. cum quibus*

DICO 21. Substantia est alterius substantiæ immediatè productiua, non verò accidens, eò quòd hoc nec eminenter nec formaliter effectum substantialem continet per potentiam naturalem sibi debitam, sed ad summum per potentiam obedientialem, per quam tamen non causâ creatâ, sed Deo veluti causa instrumentalis subordinatur: Substantiam verò immediatè esse operatiuam alterius substantiæ, tam parùm implicat, aut repugnat, quàm parùm repugnat eam esse operatiuam accidentis & quidem immediatè, quod quidem necessarium est, ne detur processus in infinitum.

XXII. AN ACCIDENS SIT SALTEM PARTIALITER SVBSTANTIAE PRODVCTIVVM?

Negant Scotistæ, eò quòd accidens sit imperfectius substantiâ; ideòq; nec partialiter illius productivum. Scotistis quo ad rem, non verò rationem consentiunt è nostris Arriag. *Disput. 11. sect. 2. subsect. 4.* & vocat sententiam inter nostros valde communem, Oued. *Cont. 9. p. 4. c. 3.*

Affirmant Thomistæ Accidens esse non tantum partialiter, sed totaliter etiam substantia productivum, quibus accedit aliquà ex parte Suarez *tom. 1. Metaph. Disput. 18. sect. 2.* afferens substantiam partialiter ab accidente produci, veluti causâ instrumentali; hancq; vocat communem Peripateticorum sententiam.

DICO 22. *Accidens nec inadæquatam habet virtutem producendi substantiam, etiam instrumentaliter, vt Thomistæ volunt, non tamen ideo, quòd imperfectius sit substantiâ, vt Scotistæ contendunt, sed quia nullum eius actiuitatis & virtutis est fundamentum & necessitas, cum sola substantia substantiam producere possit absque accidentis concursu: Quare accidentia in productione substantiæ, de facto, nudæ sunt dispositiones, non verò causæ etiam instrumentales; de possibili tamen, inadæquata virtus eaque partialis substantiam producendi accidentibus non est deneganda. Si proinde in productione effectûs substantialis substantia dispositionum causatiua, aut non existat, aut non sufficienter applicata coexistat, ad causas Vniuersales erit recurriendum, potissimum vero Causam primam, sive **D E V M**, qui defectum causæ secundæ, vt auctor Naturæ vult, & debet supplere.*

XXIII. AN ACCIDENS SIT PRODUCTIVVM ACCIDENTIS PRINCIPALITER ET ADAEQVATE?

Affirmant Thomistæ & Scotistæ apud Complut. Disput. 10. q. 8. cum quibus è nostris pleriq; etiam docent Vnum accidens esse productivum alterius similis per se loquendo. Et quidem principaliter Et adæquatè, non minus, quàm substantia substantia sit principaliter Et adæquatè Productiua.

Negant è Nostris Fonseca 5. Metaph. c. 2. q. 6. sect. 6. Conimbric. 2. physic. c. 7. q. 18. n. 3. eò quod calor calefaciat Et virtus ignis, adeoq; non virtute propria, nec principaliter, sed virtute ignis Et instrumentaliter.

DICO 23. *Cum accidens existens absque consortio alterius Substantiæ secum concurrentis, valeat aliud accidens per se producere, vt patet in aqua calefacta, cuius calor producit calorem substantiâ aquæ non adiutus, non apparet, cur non possit esse causa totalis & principalis caloris; & quamuis totalis non esset, vt fieri potest in calore ignis, nihilominus tamen potest esse causa principalis: ad hanc enim non requiritur, vt sit totalis.*

XXIV. AN SVBSTANTIA SIT ACCIDENTIS PRODUCTIVA?

Negant Thomistæ de accidentibus saltem proprijs, cum enim per eandem actionem producatur secundum ipsos forma substantialis eiusq; Proprietates, sicut substantia non est immediatè productiua substantiæ, ita nec accidentium saltem priorum. De accidentibus communibus idem tenere debent ex generali, Et recepto suo fundamento, quòd nulla Substantia sit immediatè operatiua, ergo nec accidentis.

Affirmant cum Scotistis Suarez Disput. 18. Metaph. sect. 3. Mendoza Disput. 9. Et ex reductione aquæ ad pristinum frigus efficaciter concludunt. Idem sentiunt Arriaga Disput. 11. sect. 2. subsect. 1. Ouied. Cont. 9. p. 3. cum quadam tamen diffensione: Ouiedo enim censet non solum substantiam producere accidens in seipsa immediatè, & g. calorem ignis in se, sed etiam in extrinseco subiecto saltem Et causam partialem eû calore à se in legno & g. productis; Arriaga verò putat accidentia passiva similia accidentibus substantiæ operantibus adæquatè Et solum productis ab accidentibus passivis, non autem à substantiæ operantibus etiam partialiter.

DICO 24. *Substantia habet virtutem immediatam & adæquatam saltem in actu primo producendi accidens, non tantum in seipsâ, sed etiam extrinseco subiecto, siue habeat concursus alterius accidentis à se producti siue non: quotiescunq; enim duæ causæ in actu primo adæquatæ & totales concurrunt, vtraq; saltem partialiter iunctis viribus influere solet, cum non sit ratio, cur hæc potius, quàm illa ab operando desinat.*

XXV. AN ACCIDENTIA PROPRIA PER VERAM, DISTINCTAM, QVE ACTIONEM EX SVBSTANTIA EMANENT?

Negant Thomistæ proprietates physicas ab essentia per aliquam actionem mediam, & distinctam à generatione, emanare & resultare, sed per eandem actionem à generante productam substantiam, & eius proprietates. Ita Complut. *Disput.* 10. q. 7. §. 3. qui pro sua sententia ferè omnes Thomistæ allegant, eo iterum fortè fundamentonixi, quia putant substantiam non posse esse immediatè operatiuam, etiam suarum proprietatum. cum quibus sentiunt è Nostris, Toletus, Fonseca & Conimbricenses.

Affirmant Scotistæ & cum ijs Suarez *Disput.* 18. Rub. lib. 2. de anima, & pleriq; alijs. cum quibus

Dico 25. Proprietates emanant ex essentia per actionem omnino distinctam à Generatione formæ aut substantiæ, nec producuntur à generante, sed ab ipsâ substantia producta per resultantiam, & emanationem, ita vt illa quidem sit propriè dicta actio in primo tamen generationis instanti debita, per quod distinguitur ab ijs actionibus, quæ à substantia iam vndique ad operandum instructa procedunt, nec in primo generationis suæ instanti per se debentur.

XXVI. AN CAUSA PRINCIPALIS SIT ILLA QVÆ PROPRIA, ET INSTRUMENTALIS QVÆ ALIENA VIRTUTE OPERATVR?

Affirmant Thomistæ apud Complut. *Disput.* 10. q. 2. n. 8. & videtur id ipsa nominis Etymologia inferre.

Negat Vasquez p. 1. qui causam principalem appellat eam, cui aliquod predicatum in effectu, instrumentalem verò, cui nullum correspondet; sic lumen gloria, & potentia intellectiva respectu visionis beatificæ sunt causa principalis, non tantum instrumentalis. Negant etiam ij qui cum Suarez omnem causam imperfectiorem suo effectu instrumentalem, perfectiorem verò vel æquè perfectiorem, principalem appellant, deniq; & ij negant, qui omnes dispositiones vocant causam instrumentalem, agens verò causam principalem.

Dico 26. Est quæstio de Nomine, à qua tamen multæ controuersiæ dependent, & variè resoluuntur. Omnium probabilissimè illa est causa principalis, quæ vel propriâ virtute effectum sibi debitum producit, vel quæ ab effectu exigitur & postulat, siue partialiter concurrat, siue totaliter. Instrumentalis verò est illa, quæ nec effectum sibi debitum producit, nec etiam ab effectu desideratur, non verò illa, quæ solùm est dispositio, aut cui nulla in effectu formalitas respondet, aut quæ solùm partialiter concurrat.

XXVII, AN AD INSTRVMENTVM REQVIRATVR VT AGAT PER ACTIONEM PRAEVIAM IN SVBIECTO?

Affirmant Thomistæ apud Complut. *Disput.* 12. q. 1. §. 2. Masium lib. 2. physic. c. 30. Quoad actionem prauam videtur Thomistæ sequi noster Granadus p. 1. ad q. 44. & ibi ex hoc capite docet creaturam non posse instrumentali ter assumi ad creandum.

Negant vtrumque Scotistæ, quos sequuntur pleriq; è Nostris, & omnes ij, qui putant creaturam assumi posse ad creandum velut instrumentum; in eo enim casu instrumentum non producit dispositiones prauas in subiecto, cum nullum sit necessarium.

Dico 27. Ad rationem instrumenti nullo modo requiritur, vt eleuetur per aliquid intrinsecum superadditum, sed sufficit aliquid extrinsecum, nec vt producat dispositionem aliquam præuiam, vt rectè ex instrumentis quibusdam ad effectus supernaturales aut ad creandum assumptis probatur.

**XXIIX. AN CAUSALITAS CAUSÆ EFFICIENTIS CREATÆ SIT
ACTIO EDUCTIVA? EAQUE REALITER DISTINCTA
AB AGENTE ET TERMINO?**

Affirmant Thomistæ pleriq; apud Complut. *Disput.* 16. q. 3. *quamvis malint vocare causalitatem causa efficientis, agere & producere in concreto, quam actionem in abstracto quoad entitatem modalem. sequuntur etiam è nostris pleriq; tam recentiores, quàm antiquiores, omnésq; sinceri Moderatorum aestimatores & sectatores. quin & amodistæ nonnulli, qui licet alios modos negent, actionis tamen concedunt.*

Negant Nominales, Scotistæ & Thomistæ aliqui cum Masio sect. 1. c. 3. qui Plures *prose citat.*

DICO 28. Cùm tam agens, non modò creatum, sed etiam increatum in operando ad extra, quàm terminus, seorsim & coniunctim existere possint sine hac actione saltem determinata, necessaria erit réalis, modalisque ad minimum distinctio actionis ab agente & termino, ne ad connotata, formalitates, modósque explicandi sibi alijsq; imperceptibiles sit recurrendum; quòd si tamen terminus aliquis essentialiter ab hac numero actione dependeret, eum ab actione realiter non distingueremus.

**XXIX. AN ACTIO EDUCTIVA ET PASSIO INTER SE REALI-
TER DISTINGVANTVR?**

Negant Thomistæ apud Complut. *Disput.* 17. §. 2. *qui aiunt omnes & veros discipulos D. Thomæ idem sentire. eos communiter sequuntur nostri, & Suarez Disput.* 49. *Arriag. Disput.* 8. sect. 3. *Quiedo Cont.* 12. p. 2.

Affirmant Scotistæ, eò quòd existimant actionem nihil aliud esse quàm relationem agentis ad patiens; passionem verò relationem patientis ad agens, & quidem extrinsecas advenientem, quibus etiam ù subscribunt, qui actionem in agente, passionem verò in subiecto ponunt.

DICO 29. Cùm actio eductiva essentialiter, & formaliter rationem passionis inuoluat, & per seipsam sit passio, non solùm inter se realiter non distinguuntur, sed nec propriè ratione ratiocinatâ, cùm vnum in conceptu alterius formalissimè non minùs, quàm Conceptus definitionis in definito inuoluatur.

XXX. AN ACTIO IN AGENTE SVBIECTETVR?

Negant Thomistæ pleriq; *quamvis de mente S. Thom. hæc in re multum disputant, & Complut. Disput.* 17. q. 4. *Masius q. 3. quos ex nostris communior sequitur cum Suarez. Rub. Arriag. Quiedo. &c.*

Affirmant Scotistæ eò quòd actionem velint esse relationem agentis, item ex Thomistis aliqui apud Complut. *loc. cit.* & Zümel, Ripa &c. ex alio tamen fundamento.

DICO 30. Actio etiam transiens, vt actio est, non necessariò subiectum habet, sed tantùm quatenus actio eductiva est. Porro in agente non subiectatur, ne Deus per operationem ad extra immutetur, nec in termino, ne detur mutua causalitas saltem in diuerso genere causæ, sed in subiecto termini producti.

**XXXI. AN OMNIS ACTIO ESSENTIALITER RESPICIAT TER-
MINVM?**

Negat Thomistæ multi de actione immanente apud Suarez d. 48. sect. 2. *cùm enim actiones immanentes & g. intellectio fiat ab actione & tali indistincta, ea terminum essentialiter non respiciunt, & ipse à se realiter indistinctum, cum ùdem sentis Quiedo. Cont.*

12. p. 2. aliquo modo putans posse aliquam entitatem per se ipsam essentialiter ab hoc principio emanare nullo influxu interiecto, quo casu illa actio esset actio. Et terminus simul, nec se ipsam respiceret.

Affirmant Scotistæ, quos sequitur Suarez existimans nullam dari actionem, siue transeuntem siue immanentem sine termino realiter distincto.

Dico 31. Actio educiua saltem transiens dicit respectum essentialem, & transcendentalem, non solum ad agens, sed etiam terminum à se realiter distinctum eiusque subiectum, cum sine ijs nec esse, nec intelligi possit; quin tamen aliqua actio à suo termino realiter indistincta sit possibilis, non videtur esse negandum, ad quem eo casu actio utpote indistincta, non dicit respectum transcendentalem, quare si in genere loquendum, tam parum actio dicit respectum transcendentalem ad terminum sibi identificatum, quam parum actio immanens ad se ipsam ut operantem, nisi concedere velis, aliquid ad se ipsum dicere posse respectum essentialem, cum *Didaco Ruiz* tomo de scientiâ Dei apud *Quiédo*, qui defendit cognitionem & volitionem diuinam transcendentaliter referri ad suum obiectum primarium, adeoque se ipsam, & argumento ex identitate actûs petito respondet, ad relationem transcendentalem non requiri termini distinctiorem, sicut nec existentia illius est necessaria, & pro se quoque citat *Vasquez*. Quicquid sit, actio ab his distincta ita ad prædicta omnia refertur, ut ab ijs speciem quoque desumat; eorumque vel uno, numero aut specie, imò solâ in terminum tendendi ratione mutarâ, tota actio numero vel specie hoc ipso mutetur. De Causâ primâ eiusque causalitate fortè alibi commodior erit locus disputandi.

§. IV.

DE CAUSA FINALI ET EXEMPLARI.

XXXII. AN COGNITIO BONI SIT RATIO FORMALIS ET MOTIVA FINIS.

Affirmant Thomistæ aliqui apud *Complut. Disput. 14. q. 4. cum quibus sentiunt quidam è Nostris docentes eofere modo concurrere ad amorem finis cognitionem illius, sicut præmissa ad conclusionem, qua sunt ipsa ratio formalis assentiendi.*

Negat Thomistæ alij cum *Complut. loc. cit. Voluntq; rationem formalem, & motiuam appetitus non esse cognitionem obiecti, sed realem bonitatem obiecti, ut & si cognitio illius habeat se solum per modum conditionis, aut causa moralis. eosdem sequuntur è Nostris Suarez, Vasquez, Arriaga, Quiédo, à quibus hæc in re (inquit *Quiédo*) nullus non absurde discedet.*

Dico 32. Cum nihil sit volitum, nisi præcognitum, cognitio finis se quidem habet per modum conditionis vel causæ applicantis, non tamen per modum rationis formalis, quæ trahat, & moueat voluntatem ad amorem sui, & electionem mediæ, cum id solum videatur trahere, quod non est cognitio, sed bonitas finis.

XXXIII. AN BRUTA PROPRIE AGANT PROPTER FINEM?

Negat communior Sententia quia non cognoscunt finem & finem, nec medium & medium, siue proportionem unius ad alterum, aut eorum proprie non agunt, sed aguntur potius ab instinctu & inclinatione naturali, cum prauis tamen obiectis cognitione sensitiua.

Affirmat *P. Salas prima Secunda. Arriaga Disput. 8. sect. 6. subsect. 2. & pro se citant S. Thom. ex contrario omnino fundamento, eò quod operentur propter finem & finem, & propor-*

proportionem quoque mediorem cum fine, & g. palea cum nido hirundines cognoscant, quamvis etiam convenientia cognitio sensus exteriores excedat.

DICO 33. Certum quidem est inanimata propter finem omnino non agere, probabile tamen videtur bruta propter finem propriè quandoque operari, quin & convenientiam mediorem cum fine cognoscere, vel per species infensatas ingenitas, vel fortè sine illis, immediatè positâ obiecti cognitione & phantasiâ certâ dispositione, in eandem convenientiam ferri; vt ad eò propriè propter finem operari sit credendum.

XXXIV. AN CAUSAE EXEMPLARIS IDEA SIT CONCEPTVS OBIECTIVVS?

Affirmant multi Thomistæ apud Io: de S. Thomâ & Complut. quos sequitur ex nostris apud Ouedum Vasquez 1. p. Dissut. 71. Molina q. 15. Dissut. 2. saltem in artifice creato; nam in Deo existimant ideam esse Essentiâ diuinâ, & non creaturam & cognitâ; hæc tamen differentiâ, quod Vasquez doceat diuinam Essentiâ sub ratione cognitionis creaturarum esse causam exemplarem, Molina verò Essentiâ diuinam & imitabilem in creaturarum productione. absolute etiam Affirmant Arriaga Dissut. 8. sect. 8. Oued. Cont. 9. p. 3. cum aliquâ tamen distinctione.

Negant Scotistæ cum Magistro suo, qui volunt obiectum ad extra faciendum & cognitum esse ideam, & sic creaturam & g. & cognitam esse ideam sui, quatenus in se realiter existet, & hoc est esse Diminutû, quod Scotus assignat creaturis antequam sint in se.

DICO 34. Cum artifex saltem creatus non suum Conceptum formalem in suo exemplato exprimere intendat, aut etiam exprimat, nec ad exemplariter operandum requiratur semper cognitio reflexa, non Conceptus formalis sed obiectum cognitionis erit causa Exemplaris, ita vt eadem res vel specîe, vel etiam numero obiectiue in intellectu existens sit causa Exemplaris sui ipsius realiter existentis; quare propriè causa non est, cum non realiter existat, nec distinctum aliquid à se producat, causalitas tamen illius, qualiscunque tandem, est opus coniunctum cum cognitione & directione exemplaris, ac volitione efficaci ad imitationem illius faciendi. Causa prima siue Deus Optimus Maximus, vt omnia propter semetipsum operatus est, proprièque ad extra (non ad intra) propter finem vsque operatur secundum ideas suas, ita nostræ Disputationis Principium, Causa, Finis & Exemplar esto.

Quandoquidem Controversiæ Resolutiones istæ nec fidei nec bonis moribus repugnant, sed erudito in super doctrinæ studio, & accuratâ nec minus laboriosâ diuersarum sententiarum enumeratione relucet, in lucem publicam rectè producuntur.

ita censeo.

GUILIELMVS LVDOVICVS BENNZ,
SS. Theol. Doctor, Professor ordinarius &
pro tempore Decanus;

Cum Controversiæ istæ de Corpore Naturali Causato circa Materiâ versentur utilissimam, doctè ac eruditè conscriptæ sint, & magnâ insuper claritate, ceu pulchrâ Formâ reluceant, Finem suum, lucem scilicet publicam iure merentur.